

De natural inspirationis S. Scripturae [Fortsetzung]

Autor(en): **Jácome, Innocentius M.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Divus Thomas**

Band (Jahr): **4 (1917)**

PDF erstellt am: **29.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762568>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

DE NATURA INSPIRATIONIS S. SCRIPTURAE

Scriptis FR. INNOCENTIUS M. IÁCOME O. P.

(Sequitur vol. II, p. 308—354; III, p. 190—221; IV, p. 45—80)

2. De sacrorum scriptorum dispositione

108. An dispositio quaedam scriptoris requiratur? — Cum ratio tractatur instrumentorum et agentium principalium in rebus creatis, non licet aptam dispositionem ad opus moliendum ex instrumentis tollere¹; at quando Deus modo auctorum principalium agit, illa condicio vacillat. Etenim neque ex parte scriptoris desideratur ulla dispositio, nisi ut iam exposuimus, potentia oboedientialis; neque ex parte Dei, quia praepotens cuncta suis instrumentis potest donare, ac de prophetis, quod etiam ad sanctos scriptores refertur, id sane asserit S. Thomas: „Quia Deus sua operatione non solum formam, sed etiam materiam producit, non praeequit eius operatio sicut nec materiam, ita nec materialem dispositionem ad effectum perficiendum; nec tamen formam sine materia aut sine dispositione facit, sed simul potest materiam et formam dare unica operatione; vel etiam materiam quantumcumque indispositam ad debitam dispositionem reducere, quae competit perfectioni quam inducit.“ Ex quo istud concludit: „Prophetia, quae est Spiritus Sancti donum, non exigit eam (dispositionem); exigit tamen quod simul cum dono prophetiae detur etiam dispositio naturalis, quae sit ad prophetiam conveniens².“ Quod quidem praestantissima natura principalis agentis ex se petit.

Sed reapse sacri scriptores reperiuntur bene parati ad confectionem idoneam librorum; proinde oritur quaestio, utrum Deus praevidens scriptores singulari munere aliquando functuros eademque expectatione cuncto eo apparatu, cuius revera sunt potiti, eos instruxerit. P. Pope O. P. censet omnia, quae ad scriptores pertinent, fuisse a Deo concessa futuri libri conscribendi gratia: Deus enim ab aeterno sibi homines, qui Libros Sanctos exararent, vindicavit, eoque proposito eos creavit, ut talia opera conficerent³.

¹ Cf. nr. 53.

² Q. D. De Verit. Q. 12, a. 4; Cf. II, II, Q. 172, a. 2.

³ „Here we have a parallel to the workman who makes his own tools, only that we must go much further and say that it is

At haec ratio certe valeret, quando praecipuus finis vitae scriptorum esset in confectione libri collocatus, quia tunc Deus, a cuius gubernatione nihil eximitur, res omnes ad illum scopum dirigeret; sed hoc non constat, e contrario cum gesta Prophetarum et Apostolorum inspiciuntur, munus quod verbis expleverunt, longe superat scripta eorum. Propterea S. Thomas ex tribus dispositionibus, quas in prophetia enumerat, aliquas dicit esse indifferentes, alias contrarias, quod non eveniret, si omnes omnino a Deo, ratione qua diximus, fuissent effectae. En quomodo Angelicus Doctor illud exponit: „quaedam dispositiones sunt indifferentes ad prophetiam; et hae divina operatione non mutantur in Propheta; et secundum earum convenientiam prophetia procedit. Indifferens enim est ad prophetiam, quibuscumque similitudinibus res prophetata figuretur. Dispositiones vero contrariae divina virtute auferuntur a Propheta, et dispositiones necessariae conferuntur¹.“ Haec autem partitio ad scriptores oportet revocari. Sed quae fuerunt contrariae? In promptu est plurimas invenire; quia vero parum in praesenti proficiunt, eas praetermittamus. Maioris momenti sunt necessariae, magis autem indifferentes; ambas igitur hoc loco tractare debemus, ab indifferentibus quidem exordientes.

109. De indifferentibus dispositionibus. — Unusquisque scriptorum inspiratorum singulare atque aliorum dissimile instrumentum apparet, utpote elaboratum imprimis indole propria et cumulo deinde omnium causarum externarum, quibus temperatur animus. Haec autem elaboratio incipit domi et in familia, in qua scriptores sunt nati; sic domus nobilis Isaiam alia debuit ratione informare ac simplex familia Amos prophetam; prosequitur postea disciplina magistrorum, quae in mente iuvenum impressa eorum perso-

now a question of creation „ab aeterno“. The consequences of such doctrine are farreaching. For it will follow that Isaias, for instance, was what he was, precisely and only because God created him with a view to the work for which He destined him.“ The scholastic view of biblical Inspiration p. 45. — Alio loco idem docet, exemplum afferens S. Lucae: „He is no chance pen, picked up — so to speak. On the contrary, he is a perfectly prepared instrument, prepared from eternity by God for the particular work for which He destined him, namely the writing of the Third Gospel.“ The catholic students „aids“ to the Bible, 1913, p. 44.

¹ Q. D. De Verit. Q. 12, a. 4, ad 1.

nam terminat ac per omne serpit tempus aetatis, quemadmodum Gamalielis institutio Paulum effecit peritum ac vehementem rabbinum; item officium, in quo quis exercetur, quemdam adhibet modum hominum consuetudinibus, propterea nunquam penitus in persona Moysis debebuntur indicia imperii, in Davide signa regalis potestatis, in Matthaeo vestigia viri, qui olim in telonio sedebat, in Luca notae artis medicae; neque regio, in qua scriptores procreati sunt, non influit in eorum animum; sic intelligitur, cur Amos, etiamsi propheta fuit in regno Israel, quandoque tamen ad Iudam reversus sit¹. Sed maxima differentia scriptorum pendet ex temporum condicione atque reipublicae statu, in quibus illi vitam degebant; quot vero mutationes exstiterunt in immenso spatio temporum, quibus Litterae Divinae universae, ut absolverentur, indiguerunt. Historia quidem Hebraeorum multos casus fortunamque variam subire debuit: primum in Aegypto peregrinantes Hebraei, firmitate Semitarum praediti, parum familiaritate hospitem proprios mores commutarunt, ut codex legum Hammurabi ostendit; commoti autem fuerunt cursu rerum propriarum, cuius generis sunt: peregrinatio in solitudine, terrae promissae expugnatio, res gestae Iudicum, regnum primum conditum, post laceratum, bella duplicis regni, Israel et Iudae, eorumque demum in captivitate extinctio. Sed ab aliis nationibus seposita ne intelligi quidem potest historia Hebraeorum; nam populus electus multa est passus pugnis finitimarum gentium Philistinorum, Syriae, Ammon, Moab; magis autem imperio duarum potentissimarum nationum Assyriae et Aegypti, quae dominatum expetebant totius Orientis; ut vero illum adipisceretur Aegyptus, bellum Assyriae inferens terras Hebraeorum debuit transgredi; vicissim Assyria ad Aegyptum opprimendam; quapropter Palaestina in media erat parte posita omnium bellorum et calamitatum Orientis. Imperio postea Assyriae, ferro Medorum everso, cum Babylonia regno Iudae agendum erat; qua similiter excisa, Iudaei Persis usque eo servierunt, dum Alexander Magnus Asia est potitus; tunc ad servitutem transierunt Syriae, qua depulsa, unum fere saecu-

¹ A. Van Hoonacker de Amos ait: „Son origine judéenne à elle seul suffirait à expliquer qu'il ait parfois tourné le regard du côté de Juda“ (II, 4, 5; VI, 1, s.; IX 11). Les douze petits Prophètes. Paris, 1908, p. 190.

lum Machabaei regnum constitutum servarunt. Hic igitur status rerum sine ullo dubio in animos sacrorum scriptorum plurimum influit; quod quidem pateret, si notitiam haberemus omnium virorum, qui opera exararunt; attamen nonnulla colligi possunt ex iis, quae ad nos pervenerunt. Sic, quamquam parum scimus de scriptoribus codicum historicorum, patet nihilominus hominem, qui post exsilium in libris Paralipomenon totam texuit historiam Hebraeorum, non fuisse iisdem factis aequaliter affectum ac illi, qui res gestas scriptis ante exilium mandarunt. Aequè in libris didacticis scriptores Sapientiae et Ecclesiastici dilucide demonstrant, quantum litterae moresque Graecorum in Iudaeorum consuetudines irrepserint. Prophetæ autem rei, de qua disputamus, optimum praestant exemplum, quandoquidem in eorum personis historia Israel et Iudae summam collecta reperitur; quomodo ceteroquin, ut exempla ponamus, eversio florentissimæ urbis Iudaeis inimicæ Ninive a Nahum praedicta aliquid in animum prophetæ impressit? Quid vero de Isaia, de Ieremia, tantarum testibus tempestatum? Hactenus de iis, quae tempore conscriptionis librorum Veteris Testamenti evenerunt; cum vero literae Novae Legis conficiebantur, alii eventus orbem terrarum commutaverant; extinctis enim Orientis imperiis Assyriae, Aegypti, Babyloniae, Medorum, Persarum, atque postea Graeciae, Romani terris potiti in universas gentes, Iudaeis non exceptis, dominati sunt, et ubicumque leges mores usus induxerunt; sed maxime tunc splendebat in mundo, renovans cuncta, clarissima lux doctrinae Christi. Itaque partim institutionibus Romanorum, fulgoribus illustratis Christianismi, scriptores Novi Testamenti necesse erat moderari, partim etiam usibus Iudaeorum, tunc temporis vigentibus.

Ex his igitur liquet personam scriptorum sacrorum et propria indole et innumerabilibus causis externis formari; nunc autem occurrit quaerere, an scriptores tali modo temperati, cum aliquid scriptis inspiratione divinitus moti consignant, suam condicionem exhibeant et ostendant, quemadmodum ceteri homines in suis operibus proprium signant animum. Hac in re et viri inspirati et reliqui scriptores eadem regula diriguntur, quia omnes dispositiones supra expositae sunt indifferentes, eodemque ipso modo, quo invenit, Deus eas adhibet. Atque inter omnes, ut P. Prat tes-

tatur¹, id constat; propterea Bonaccorsi existimat inspirationis notionem, quae fundamento huius veritatis non nitatur, esse omnino falsam censendam²; nihil insuper in hoc loco proficit nomina exegetarum afferre, qui suis investigationibus hoc principium confirmant, sed potius commemorandi sunt Crets³, P. Pègues O. P.⁴, P. Zanecchia O. P.⁵, Card. Billot⁶, P. Hugon O. P.⁷, P. Brucker⁸, qui ad normas Theologiae inspirationem tractant, sed tamen eventum illum agnoscunt. Huiusmodi vero dispositiones indifferentes potissimum elucent in lingua, in forma orationis (stilo), in diversis generibus dicendi (genere litterario), quae in praesenti exponere oportet.

110. De lingua a scriptoribus sacris adhibita. — Cum homines inspirati quidquam, ut esset aliis emolumento, literis mandarunt, lingua necessario sunt usi, quae eorum vigeat aetate atque facultati respondebat legentium. Quam ob rem, dum Hebraei libertate fruebantur, Libri Divini hebraice fuerunt conscripti, post vero servitutem, aliquoties aramaice; tum demum, quando mores graecorum serpsent per terras, volumina quaedam Veteris Testamenti et omnia Novi, salvo primo Evangelio, graeco sermone sunt exarata. Neque solum linguae diversae extiterunt, sed etiam idem sermo decursis temporibus plures subiit mutationes, ita ut historia linguae hebraicae in partes distribuatur tres: prima scilicet a Moyse usque ad regni constitutionem, cui deinde succedit aetas aurea, quae terminatur exsilio babylonico, quando aramaicis sermo he-

¹ „Les auteurs inspirés ont imprimé à la parole divine, dont ils sont les hérauts, le cachet de leur personnalité; qui le conteste? en passant par un milieu humain la vérité révélée s'affaiblit et se colore; on peut l'admettre sans péril.“ L'Évangile et la critique. Études des Pères de la Compagnie de Jésus. Tom. 72, 1897, p. 664.

² Solo abbiamo voluto ricordare e inculcare, come l'ispirazione non distrugga l'attività umana dello scrittore, nè muti la natura di essa: una teoria dell' ispirazione che non ponesse questa verità come fondamento, dovrebbe senza esitazione esser proclamata falsa, per quanto brillanti fossero gli argomenti a priori su cui fosse basata.“ Questioni Bibliche, 1904, p. 98, 99.

³ De divina Bibliorum inspiratione, p. 174.

⁴ Revue Thomiste, 1895, p. 112.

⁵ Scriptor sacer, p. 85.

⁶ De inspiratione S. Scripturae, p. 42, 43 et 53.

⁷ La causalité instrumentale, p. 41.

⁸ L'Église et la critique biblique, p. 54, 55.

braicus incepit deformari. Scriptores igitur aut polite aut vitiose sunt locuti secundum tempus, quo vivebant. Hi similiter, qui graecè libros confecerunt, minime attico stilo scripserunt, sed ea lingua, quae illis diebus florebat, dicta ἡ κοινὴ διάλεκτος. Quod si istae linguae adhibitae fuerunt, necesse erat ad earum modum et proprietates scriptores conformari; quo facilius intelligitur Libros Sacros nonnulla continere aliena profecto a nostris consuetudinibus: huius generis sunt in lingua hebraica status constructus, tempora verborum, Perfectum nimirum, quod ex se actionem completam et absolutam significat, et Imperfectum, quae tamen aliquando vaw consecutivo copulata idem valent; magna vero est copia modorum dicendi, prout in omnibus paginis hebraicis videre licet; forma quoque periodi est propria, cum non existat nisi oratio directa. Et haec quidem ex parte linguae; sed adhuc est animadvertendum inspiratos scriptores iuxta eorum diversum characterem et eruditionem eodem linguae thesauro ita dissimiliter frui, ut alius omnino ab alio differat; atque quod plurimum interest, crebro consumunt parum operae et studii in ornate copioseque dicendo, immo interdum nec grammaticae regulis obtemperant. Quare Origines: „quae in Scripturis, inquit, soloecismi formam habent, dictione ipsa legentem confundunt, ut suspicetur, non recte, neque ut se habent, ita scriptas esse divinas litteras¹.“ At vox S. Hieronymi de vitiis grammaticis in epistolis S. Paulo irreptis est valde cognita, propterea hoc loco aliqua subiungamus. De expositione sententiae dicit: „Qui non iuxta humilitatem, ut plerique aestimant, sed vere dixerat: Et si imperitus sermone, non tamen scientia (II Cor. XI, 6). Hebraeus ex Hebraeis iuxta legem Pharisaeus, profundos sensus graeco sermone non explicat, et quod cogitat, in verba vix promit².“ Item: „Profundos et reconditos sensus lingua non explicat. Et cum ipse sentiat, quid loquatur, in alienas aures puro non poterat transferre sermone³.“ De oratione vitiosa autem uberius agit: „Quantum ad consequentiam sermonis textumque eloquii pertinet, ad id quod praemisit: Huius rei gratia, ego Paulus vincetus Iesu Christo pro vobis gentibus, diligen-

¹ In Osee. P. G. 13, 826.

² Com. in Ep. ad Titum I, 2 seq. P. L. 26, 592.

³ Epist. 121 ad Alg. P. L. 22, 1029.

tissime perquirentes, nihil quod ei reddiderit, potuimus invenire. Neque enim dicit, huius rei gratia ego Paulus hoc vel hoc feci, vel illud et illud docui: sed suspensa manente sententia, transgressus ad alia est. Nisi forte ignoscentes ei, quod et ipse confessus est dicens: Et si imperitus sermone, non tamen scientia (II Cor. XI, 6), sensuum in eo magis quaeramus ordinem, quam verborum... Puto autem quod et vitiosa in hoc loco elocutio sit... Si vero quis potest etiam iuxta sermonis et eloquii contextum docere, Apostolum fuisse perfectum et in artis grammaticae vitia non incurrisse, ille potius auscultandus est. Nos quotiescumque soloecismos aut tale quid adnotavimus, non Apostolum pulsamus, ut malevoli criminantur, sed magis Apostoli assertores sumus, quod Hebraeus ex Hebraeis (Philipp. III, 5) absque rhetorici nitore sermonis et verborum compositione et eloquii venustate numquam ad fidem Christi totum mundum transducere valuisset, nisi evangelizasset eum non in sapientia verbi, sed in virtute Dei (I Cor. II, 1; IV, 5)¹. Huius expositionis ad hunc modum finem facit: „Ipse igitur qui soloecismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere sententiamque concludere, audacter sibi vindicat sapientiam².“ De numero pariter iunctione posito inquit: „Debit quippe secundum ordinem dicere: Vos qui spirituales estis etc., et non plurali inferre numerum singularem. Hebraeus igitur ex Hebraeis, et qui esset in vernaculo sermone doctissimus, profundos sensus aliena lingua exprimere non valebat: nec curabat magnopere de verbis, cum sensum haberet in tuto³.“ Similiter de convictione male adhibita: „Coniunctionem vero causalem... arbitramur aut ab indoctis scriptoribus additam, ... aut ab ipso Paulo, qui erat imperitus sermone, et non scientia superflue usurpatam⁴.“ In eo autem quod attinet ad linguam Novi Testamenti, non potest quaedam externa causa praetermitti, propterea quod magnopere in eum sermonem influxit, caelestes videlicet veritates a Iesu Christo traditae, quas lingua Graecorum, etiamsi locupletissima, non valebat penitus exprimere; eoque Apostolis et scriptoribus Legis Novae opus erat aut aliqua nova vocabula invenire, quod

¹ Com. in Ep. ad Ephes. III, 1, seq. P. L. 26, 508, 509.

² Ibid. p. 509.

³ Com. in Ep. ad Galat. VI, 1. P. L. 26, 455.

⁴ Com. in Ep. ad Ephes. II, 1, seq. P. 26, 495.

revera fecerunt, aut existentibus aliam tribuere recentem significationem. Hactenus de his quae ad linguam generatim spectant.

Iam nunc veniendum est ad singulos scriptores, ut videamus, quomodo in eorum scriptis ostendatur propria persona, condicio peculiaris, modus, qui determinatur consuetudine et familiaritate gentium, quibus natio eorum iungebatur amicitia; hoc autem quodam specimine prolato obtinebimus, sitque S. Marcus delectus, auditor principis Apostolorum ac trium synopticorum medius. Itaque lingua secundi Evangelistae personam singularem atque ab omnibus aliis diversam clare manifestat; nam 72 verba Marci in nullo alio libro Novi Testamenti reperiuntur¹; alii termini frequenter a Marco usurpantur, cuiusmodi sunt: *ἐκθαμβέομαι* (4 Mc. tantum)²; *ἔρχεται, ἔρχονται* (24 Mc., 3 Mt., 1 Lc.), *εὐθύς* (42 Mc., 18 Mt., 7 Lc.); *εὐθέως* e contra numquam adhibetur a Marco, quamquam est in 12 locis apud Mt., 6 apud Lc.; *ὁ ἐστίν* (6 Mc. ac ter fortasse in reliquo Nov. Test.), *περιβλέπομαι* (6 Mc., semel apud Lc.); *πολλά* (9 Mc., 4 Paul.); *συνζητέω* (6 Mc., 2 Lc.), *οἶκίον, οἶκος*, quin possidens indicetur (7 Mc., 5 Mt.); *ἤρξατο* vel *ἤρξαντο* (26 Mc., 19 Lc., 9 Mt.); particula *δέ* Marcus, si cum aliis conferatur Evangeliiis, parum utitur (156 Mc., 496 Mt., 508 Lc.); in 26 locis ubi alii Evangelistae scribunt *δέ*, Marcus interponit *καί*. Atque diminutivis maxime delectatur Marcus: *κοράσιον* (4 Mc., 3 Mt.), *πλοιάριον* (2 Mc., 4 Io.), *θυγάτριον* (2 Mc.), *κυνάριον* (2 Mc., 2 Mt.), *ιχθύδιον* (1 Mc., 1 Mt.); aequae duplicibus negationibus (17 Mc., 3 Mt., 8 Lc.). Syntaxis quoque Marci profert quasdam proprietates: *εἶναι* et *ἐλθεῖν* cum participio³; plura participia simul iuncta⁴; articulus cum infinitivo vel aliqua propositione⁵; 151 locis loquitur in praesente historico. Quibus omnibus efficitur, ut lingua Marci particulari singularis eiusdem persona comprobetur. Sed praeterea iste sermo ad mentem revocat *Ἰωάννην ὑπηρέτην* (Act. XIII, 5), et condicionem popularem huius

¹ Hac in re et mox in forma dicendi potissimum utimur Introductione Commentarii P. Lagrange „Evangile selon Saint Marc“, ubi quaestio de lingua acuratissime tractatur.

² Numerus indicat, quoties verbum propositum adhibetur.

³ Mc. I, 6, 33, 18, 40; II, 18; V, 5; IX, 4; X, 32; XIII, 13, 25; XV, 43.

⁴ I, 31, 41; V, 25—27; XIV, 67; XV, 43.

⁵ I, 14; IV, 6; V, 4; IX, 23.

Evangelistae testificatur; est enim vulgaris, ut iam intelligitur ex 7 vocibus probabiliter ab usu vulgi mutuatis, quae praeterquam in Evangelio secundo, nullibi in literis graecis exstant; id ceterum confirmatur crebris eorundem verborum repetitionibus, velut: πολλοί τελῶναι καὶ ἁμαρτωλοὶ . . . μετὰ τῶν ἁμαρτωλῶν καὶ τελωνῶν . . . μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν (II, 15 et 16); Ἡλείαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον . . . Ἡλείας μὲν ἐλθὼν πρῶτον . . . Ἡλείας ἐλήλυθεν (IX, 11—13); ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς . . . ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ . . . ἐν ποίᾳ ἐξουσία ταῦτα ποιῶ (XI, 28, 29, 33); βάλλει . . . ἔβαλλον . . . ἔβαλεν . . . ἔβαλεν τῶν βαλλόντων . . . ἔβαλον . . . ἔβαλεν (XII, 41—44)¹. Quid vero de Marci patria? Etiam si alii libri Novi Testamenti et monumenta traditionis nihil traderent, lingua sui voluminis eam aliquantum nobis declararet; exhibet enim nonnullos modos dicendi Semitarum: Ἡ ἀκοή αὐτοῦ, genitivus obiectivus (I, 28), ἡς . . . αὐτῆς (VII, 25) pronomem post relativum, quod quidem graece dicitur, sed saepius in LXX usurpatur; καλὸν ἐστίν idem ac לְטוֹב (IX, 43), προσεύχεσθε καὶ αἰτεῖσθε (XI, 24); πρώτη πάντων pro πᾶσων (XII, 28); (μία ad significandum πρώτη); aliquas deinde voces aramaicas: βοανηργές (III, 17), ταλιθά κούμ (V, 41), κορβᾶν (VII, 17), ἐφφαθά (VII, 34) βαρτιμαῖος (X, 46) ἀββᾶ (XIV, 36) ἐλωὶ ἐλωὶ λαμὰ σαβαχθανεὶ (XV, 34), et formas huius linguae: ἔσσονται . . . πίπτοντες (XIII, 25), ὡς aramaice ל (XIII, 34); plures denique hebraismos; καὶ ἐγένετο ἦλθεν, וְהָיָה etc. (I, 9), παρά τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας ad lacum designandum (I, 16; III, 7; VII, 31), ἐγένετο ἐν τῷ (IV, 4), ἀποκριθεὶς εἶπεν, hebraice וַיֹּאמֶר וַיֵּן (III, 33. Cf. IX, 5; X, 24; XI, 14; XII, 35; XV, 12), ὅτι, וְ (IV, 41; VIII, 16), εἰ δοθήσεται ad negandum (VIII, 12), εἰ, הֲ quo interrogatur (VIII, 23); ὀπίσω μου, וַיִּפְּסוּ (VIII, 33), Κύριος sine articulo sicut et Iahve (XIII, 20), οὐκ . . . πᾶσα, לֹא . . . כָּל (Ibid.), πᾶσα σάρξ, כָּל בָּשָׂר לֹא, id est, omnes homines (Ibid.). Tales igitur modi semitici aramaici hebraici sive proveniunt a fontibus aramaicis Evangelistae sive a lectione codicum LXX, sive a sermone quotidiano temperato assiduo usu Scripturae graecis literis

¹ Cf. item: διαλογιζόμενοι ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν (II, 6, 8); ὁ νυμφίος μετ' αὐτῶν . . . νησιεύειν (II, 19); κατ' ἰδίαν εἰς ἔρημον τόπον (VI, 31, 32); καὶ ἤδη ὥρας πολλῆς (VI, 35); τέθνηκεν . . . ἀπέθανεν (XV, 44); ἀποκυλίσει τὸν λίθον (XVI, 3, 4).

illustratae, utcumque demonstrant Marcum fuisse Iudaeum. Ast, ut ad aliam transeamus notam, aliunde accepimus scriptorem, de quo loquimur, continuis itineribus comperas habuisse institutiones Romanorum, immo ipsum Romae fuisse commoratum. Haec vero consuetudo cum Romanis in lingua quoque Evangelii insculpta resedit; quod, etsi sermo Iudaeorum Palestinensium fuisset dominatione Romanorum modificatus, eo tamen uno, sine convictu modo exposito, non satis explicarentur tot modi dicendi latini in oratione Marci; cuius generis sunt verba; *κεντυρίων* (XV, 39, 44, 45), *λεγιών* (V, 9, 15), *σπεκουλάτωρ* (VI, 27), *δηνάριον* (VI, 37; XII, 15; XIV, 5), *χοδράντης* (XII, 42), *ξέστης* (VII, 4), *κράβαττος* (II, 4, 9, 11, 12; VI, 55), *φραγελλώσας* (XV, 15), *πραιτώριον* (XV, 16), aliae postea elocutiones ad latinitatem pertinentes: *ὁδὸν ποιεῖν* (II, 23), *εἶπεν δοθῆναι αὐτῇ φαγεῖν* (V, 43), *κατακρινούσιν αὐτόν θανάτῳ* (X, 33), *εἶχον . . . ὅτι* (XI, 32), *τό ἴκανόν ποιῆσαι* (XV, 15), *τιθέντες τὰ γόνατα* (XV, 19). Nunc vero convenit quaerere, quid usus domesticus Marci cum Paulo in lingua reliquerit secundi Evangelii. Quod si comparatur sermo Lucae et Marci, pauca sunt apud alterum, quae Pauli discipulum manifestent, cum apud Lucam tot sint vocabula, scilicet 175, tantaque prostet copia dictionum, quae Pauli stilum sapiunt, ut fuerint qui tertium Evangelium voluerint Apostolo adscribere; nihilo tamen secius etiam apud Marcum nonnulla inveniuntur, quibus suspicari possit auctor, qui familiaritate Pauli fruebatur¹.

111. De forma orationis in libris inspiratis. — Praeter ea quibus ars grammatica continetur, complures aliae partes concurrunt ad orationem efformandam, quae, utpote natae ex ratione, ex voluntate, ex phantasia, ex intimis motionibus, breviter ex toto animo scriptoris, mirifice personam eius patefaciunt; idque ita verum est, ut nemo audeat negare, quod in consuetudinem triti proverbii apud omnes gentes venerit: stilus est homo. Istud vero quod in universis scriptoribus contingit, non rite omnibus consentientibus dedecori inspiratis viris; quapropter, ut auctoritate roboretur haec causa, continuo adscribamus aliqua iudicia summi Doctoris rei biblicae, S. Hieronymi, qui per totam vitam deditus studio Sac-

¹ Cf. P. Lagrange, loc. com. p. CXLII—CXLIV.

rarum Literarum potuit quasi medullas scriptorum sanctorum attingere. „Ac primum, inquit, de Isaia sciendum, quod in sermone suo disertus sit: quippe ut vir nobilis et urbanae eloquentiae nec habens quidpiam in eloquio rusticitatis admistum. Unde accidit, ut praee ceteris florem sermonis eius translatio non potuerit conservare¹.“ De alio aeque principe Prophetarum: „Jeremias propheta sermone quidem apud Hebraeos Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior... Porro simplicitas eloquii de loco ei in quo natus est accidit. Fuit enim Anathothites, qui est usque hodie viculus tribus ab Hierosolymis distans millibus².“ De Ezechiele autem: „Sermo eius nec satis disertus, nec admodum rusticus est, sed ex utroque medie temperatus³.“ De prophetis minoribus: „Osee commaticus est et quasi per sententias loquens. Joel planus in principiis: in fine obscurior. Et usque ad Malachiam habent singuli proprietates suas⁴.“ Iam ad scriptores Novi Testamenti veniens de tertio Evangelista dicit: „Lucam tradunt veteres Ecclesiae tractatores medicinae artis fuisse scientissimum et magis graecas literas scisse quam hebraeas. Unde et sermo eius tam in Evangelio quam in Actibus Apostolorum, id est in utroque volumine comptior est et saecularem redolet eloquentiam, magisque testimoniis graecis utitur quam hebraeis⁵.“ Postremo „Paulum Apostolum, inquit, proferant, quem quotiescumque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua⁶.“

Sed in hac disputatione praecipue considerandae sunt translationes, quae usurpatae, auctore Cicerone, „ad illustrandam atque exornandam orationem⁷“, genus dicendi potissimum distinguunt varietate consuetudinum, institutionum, legum aetatis et regionis, in quibus scriptores sacri degebant. Etiamsi enim quidam fontes, ex quibus hauriuntur verba translata, communes sint omnium nationum ac tem-

¹ Praefat. in libr. Isaiae. P. L. 28, 825. Sententiae S. Hieronymi nunc allatae fuerunt a Dr. Schade collectae in opere Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus, p. 17—20.

² Prolog. in Ieremiam. P. L. 28, 903.

³ Praefat. in Ezechielem. P. L. 28, 995.

⁴ Praefat. in 12 prophetas. P. L. 28, 1071.

⁵ Comment. in Isaiam, VI, 9, seq. P. L. 24, 100; Cf. Epist. 20 ad Damas. cap. 4. P. L. 22, 378.

⁶ Epist. 48 ad Pammachium, 13. P. L. 22, 502.

⁷ De Oratore, lib. III, cap. 38, nr. 152.

porum, ut liquido intelligitur, si parabolaes Iesu in Evangeliiis cernuntur, aliqui tamen sunt aliarum gentium et hominum singulorum proprii. Huius generis sunt imprimis imagines more orientalium maxima vi cogitationis fictae, quibus et caelum solem lunam stellas sidera terrasque montes colles maria flumina aequae ac si ad commotiones animi essent apta, inducunt, velut: „stellae caeli, et splendor earum, non expandent lumen suum; obtenebratus est sol in ortu suo et luna non splendebit in lumine suo“ (Is. XIII, 10); „et tabescet omnis militia caelorum, et complicabuntur sicut liber caeli; et omnis militia eorum defluet“ (XXXIV, 4). Haec Isaias; Ieremias autem: „Aspexi terram, et ecce vacua erat et nihili; et caelos et non erat lux in eis. Vidi montes, et ecce movebantur; et omnes colles conturbati sunt“ (IV, 23 et 24); Ezechiel: „Et operiam, cum exstinctus fueris, caelum et nigrescere faciam stellas eius; solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria caeli moerere faciam super te“ (XXXII, 7 et 8); Ioel: „A facie eius contremuit terra, moti sunt caeli, sol et luna obtenebrati sunt, et stellae detraxerunt splendorem suum“ (II, 10). Saepe in Psalmis tales comparationes adhibentur: „commota est et contremuit terra“ (XVII, 8; Cf. XCVI, 4); „revelata sunt fundamenta orbis terrarum“ (XVII, 16); de montibus dicitur: „conturbati sunt“ (XLV, 4), „sicut cera fluxerunt a facie Domini“ (XCVI, 5), „exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium“ (CXIII, 4, 6), „fundamenta montium conturbata et commota sunt“ (XVII, 8); de mari: „moveatur“ (CXVII, 7), „sonuerunt et turbatae sunt aquae eorum“ (XLV, 4); de fluminibus: „plaudent manu“ (CVII, 8). Quae non modo in poemate, sed in libris historicis etiam insunt, sicut: „vociferatus est omnis Israel clamore grandi et personuit terra“ (I Sam. IV, 5), „et insonuit terra a clamore eorum“ (I Reg. I, 40)¹. Plures aliae existunt sedes propriae sacrorum scriptorum, a quibus similitudines sumuntur, ut leges religiosae: „Dominus pars

¹ De his P. Lagrange ait: „Ce serait évidemment un très lourd contresens que de prendre à la lettre ces fortes images. Ce serait méconnaître le style de la Bible... Ce serait même méconnaître les habitudes du monde ancien, car les Grecs eux-mêmes, en dépit de leurs tendances au rationalisme, ont associé la nature et spécialement, le ciel, aux scènes qui se jouaient sur la terre, et cette tradition n'a jamais été tout à fait interrompue.“ Le Messianisme chez les Juifs. Paris, 1909, p. 48, 49.

hereditatis meae et calicis mei . . . Funes ceciderunt mihi in praeclaris“ (Ps. XV, 5, 6); item illa quae Paulus petit a theatro (I Cor. IV, 9), a stadio (Ibid. IX, 24), ab agone (Ibid. v. 25, et II Tim. II, 5), a bestiarum pugna (I Cor. XV, 32), ab armis Romanorum (Ephes. VI, 14—17; I Thes. V, 8). Quandoque etiam scriptoris munus censetur iure domicilium comparationum, quemadmodum S. Hieronymus: „Naturale est, inquit, ut omnes artifices suae artis loquantur exemplis, et unusquisque in quo studio trivit aetatem, illius similitudinem proferat . . . Cur haec dicta sunt? ut scilicet ostendamus etiam Amos prophetam, qui pastor de pastoribus fuit, et pastor non in locis cultis et arboribus ac vineis consitis, aut certe inter silvas et prata virentia, sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum feritas et interfectio pecorum, artis suae usum esse sermonibus, ut vocem Domini terribilem atque metuendam, rugitum leonum et fremitum nominaret¹.“ Et „In principio Amos . . . diximus illum artis suae usum esse sermonibus . . . Iuxta hunc ergo sensum etiam nunc de eo, quod saepe viderat, sumit exemplum, et sic decem tribuum parvas reliquias de Assyriorum narrat manibus eruendas: quomodo si pastor, devoratis omnibus membris, duo crura aut extremum auriculae de leonis faucibus rapiat².“

Hoc vero in loco, ut finem faciamus quaestionis de figura orationis, decet exemplum ponere ipsius S. Marci, quo apparebunt eius animi delineamenta in dicendi modo insignita. Cum igitur res gestas narrat, non videtur acerrimae cogitationis compos ad facta ornanda, tam parum enim spargit varietatis; sic, ut indicet mirabilem Iesu circumspectum, semper inducit verbum *περιβλέπομαι*, *προσχαλεῖται* vero, ut institutionem publice a Domino traditam significet; quod si agitur de privata disciplina, Magister aut ad se discipulos vocat³, aut docet in via⁴; vocabulum autem *ὄχλος* septies et tricies coetum hominum qui Christum circumibat designat. Ceterum acta similia eodem ordine describit, sicut miracula multiplicatorum panum (VI, 35—44 et VIII, 1—9), sanationes surdi elinguisque et caeci (VII, 32—36 ac VIII, 22—26), daemoniorum eiectiones (I, 23—27

¹ In Amos, cap. I, v. 2. P. L. 25, 993.

² Ibid. cap. III, v. 12, 13. P. L. 25, 1020.

³ III, 13, 23; VI, 7; VII, 14; VIII, 1, 34; X, 42; XII, 43.

⁴ VIII, 27; IX, 33; X, 32.

et V, 2, 7, 8, 13, 20), comminationes immundi spiritus atque tempestatis (I, 25, 27 et IV, 39, 41); similiter duplicem adventum ad synagogam (I, 21, 22, 27 ac VI, 1, 2), necnon alias narrationes (XI, 1—4, 6 et XIV, 13, 14, 16). Attamen ea oratio Marci minus varia pro nihilo ducitur, quando eum videmus illustribus pictoris laudibus cumulatam egregie pingere res gestas. Nam ea omnia, minima quoque ad locum ad tempus ad personas spectantia nullo pacto negligit; sed quamquam ista non exponit artificio, tamen in narrationis cursu ope parenthesis et pleonasmii effundit, verbi gratia parenthesis: „Erant autem et mulieres de longe aspicientes“ (XV, 40), „non enim erat tempus ficorum“ (XI, 13), „erat enim habens multas possessiones“ (X, 22); pleonasmii: „Vespere autem facto cum occidisset sol“ (I, 32), „non est propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua“ (VI, 4), „nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc caecatum habetis cor vestrum? oculos habentes non videtis, et aures habentes non auditis?“ (VIII, 17). Sed Marcus tunc maxime eminent, cum aliqua minuta profert, quibus actio quasi animata in medio ponitur atque percipiuntur motiones internae agentium; horum autem adiunctorum difficile est exempla eligere, cum Evangelium totum sit talibus refertum; de iis ergo quae ad ipsam actionem attinent, haec afferamus: „et erat omnis civitas congregata ad ianuam“ (I, 33), „dixit discipulis suis, ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum“ (III, 9), „et convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare“ (III, 20), „misit digitos suos in auricula eius: et exspuens tetigit linguam eius, et suspirans in caelum ingemuit“ (VII, 33), „video homines velut arbores ambulantes“ (VIII, 24), „et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere“ (IX, 3), „et non sinebat ut quisque transferret vas per templum“ (XI, 16), „adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo“ (XIV, 51). De animi vero motibus haec: „Et ingemiscens spiritu ait“ (VIII, 12), „accipiens puerum statuit eum in medio eorum, quem cum complexus esset, ait“ (IX, 36), „et audientes decem, coeperunt indignari de Iacobo“ (X, 41). Atque non actio modo vividis coloribus depingitur, verum etiam nos ipsi videmur oculis eam cernere; quod quidem efficitur genere usurpandi tempora quasi proprio Marci; nam in 151 locis in-

ducitur praesens historicus, plura participia crebro in eandem conveniunt orationem; sic in cap. V, 25—27 enumerantur 7 participia, et loco Aoristi saepe Imperfectum ponitur. At aequalitas verborum constructionumque sermonis vulgaris et illa minuta adiuncta factorum, quae Evangelium secundum, etiamsi ceteris brevius, sat completum reddunt, non obstat, quominus elocutio sit fluens expedita rapida idque in pleonasmis ipsis videre licet: „et salva sit, et vivat“ (V, 23): „cumque introisset statim cum festinatione“ (VI, 25), „neque scio neque novi quid dicas“ (XIV, 68); haec vero nota obtinetur temporibus varie interpositis, cuius rei tentatio (I, 12, 13) optimum praebet exemplum, sed potissimum asyndeti¹ et anacoluthi², atque usu frequenti vocabuli εὐθύς. Neque a Marco aliena est illa eloquentia nata ex divina dignitate argumenti in Sanctis Litteris consignati, ac propterea sententia illa S. Augustini convenit omnibus sacris scriptoribus; quaesito enim „sapientes tantummodo, an eloquentes etiam nuncupandi sint“, respondet S. Doctor: „ubi eos intelligo, non solum nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest... Est quaedam (eloquentia), quae viros summa auctoritate dignissimos planeque divinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit; alios autem, quanto videtur humilior, tanto altior non ventositate, sed soliditate transcendit³.“ Haec deinde ipsa naturalis elegantia sermonis Scripturarum magni refert in litterarum graecarum historia, qua homines inspirati in Novo Testamento oratoriis praetermissis ornamentis doctrinam simpliciter exposuerunt, eoque pacto illius aetatis formam dicendi mollem et artificiosam et rhetoricam ad genus clarum graveque veterum atticorum revocarunt, ut P. Lagrange disserens de S. Paulo optime ostendit⁴.

¹ VIII, 19, 29; IX, 24, 38; X, 27, 28, 29; XII, 24, 29; XIV, 3, 19. V, 39; X, 14; XII, 27; XIII, 7; XIV, 6.

² VI, 8 et seq.; XI, 32; XIV, 49.

³ De doctrina christiana. Lib. IV, cap. VI nr. 9. P. L. 34. 92, 93.

⁴ „C'est que, par-dessus les grammairiens d'Alexandrie et de Pergame, par-dessus les rhéteurs asianiques, précieux ou emphatiques, sans se soucier de l'atticisme archaïsant déjà à la mode, Paul possède l'esprit d'action des anciens attiques classiques. Certes, sa phrase ne ressemble guère à la leur. Mais comme ils ont rejeté systématiquement les faux ornements de la rhétorique de Gorgias pour que leur style ne soit que le vêtement d'une parole précise, allant au but,

112. De variis elocutionis generibus. — Linguam et dicendi formam in se fusas atque dispersas scriptor cuiusvis operis et apte colligit constringitque vinculo generis cuiusdam certi, eodemque ipso eas terminat modo peculiari, sive poetico sive historico sive oratorio sive epistolari sive alio simili. Sed in praesenti quaerere debemus, utrum sacri scriptores inspiratione divinitus afflati verba et orationis figuram, de quibus ante disseruimus, aliquo genere definiverint, quemadmodum et reliqui homines consueverunt; an ita inspiratione mutentur, ut omni vulgari modo reiecto adipiscantur genus quoddam caeleste supra cetera humana positum. Card. Billot alteram videtur partem tueri; postquam enim longe disputavit „de formis literariis Scripturae Sacrae“, hoc statuit: „Ultima itaque conclusio sit, quod cum de formis literariis nunc agatur, sanioris forsitan criticae argumentum darent, si loco quaerendi cui communi generi seu praedicamento divini libri sint adiudicandi, agnoscerent potius genus illud singulare transcendens nullam cum aliis comparisonem ferens, quod est ipsa Scriptura sacra.“ Hanc vero rationem ex alia infert: „dignum sane est, ut libri illi quorum Deus principalis auctor, proprium quiddam in ipso modo loquendi prae se ferant, quod in aliis non invenitur¹.“ Attamen si genera illa removentur, quae aut morum honestatem laedunt aut veritatem gestorum, catholici omnes neque Card. Billot excepto² concordant in sententia, quae tenet inspirationem nullum prorsus dicendi genus decorum repudiare, sed sua sponte ad omnia illa conformari. Licet nonnulla tantum nomina commemorari, quibus res proposita sustentatur: P. Prat³, P. Pesch⁴,

véhément quand il fallait, Paul, simplement parce que le succès littéraire lui paraissait de peu de prix, est allé tout droit à ce qui est la vraie beauté du style.“ Rev. Bibl. 1916, p. 222. Idem, S. Paul, Épitre aux Romains par le P. M. I. Lagrange O. P., Paris, 1916, p. XLVII.

¹ De Inspiratione S. Scripturae, p. 156.

² Cf. Ibid. p. 145.

³ Anno 1897 sic scribebat: „Un principe dicté par le bon sens, conforme à l'enseignement catholique et, semble-t-il indéniable, résume ce que nous avons à dire: Tout genre de composition, tout procédé littéraire, tout artifice de diction en usage chez les auteurs profanes est légitime chez les écrivains inspirés.“ L'Évangile et la critique. Études des Pères de la Compagnie de Jésus. Tom. 72, p. 665. Idem Cf. La Bible et l'histoire. Sixième édition. 1908, p. 32, 33.

⁴ Apparatus, p. 54 et 122; De Inspiratione nr. 399.

Bonaccorsi¹, P. Brucker², L. Hackspill³, P. Schiffini⁴, Cellini⁵, P. Durand⁶, Merkelbach⁷, Brassac⁸, P. Höpfl⁹. Et haec quidem universim de generibus.

Deinde vero necesse est de iis disputare, quae Iudaeorum usitato more atque institutionibus temporum sunt divinis voluminibus illata; quamvis enim dicendi modi, utpote in rerum natura nitentes, praebeantur omnibus literis et omnibus saeculis atque apud omnes gentes iidem ac dirigantur aequalibus regulis et normis, nonnulli tamen aut quibusdam temporibus magis vigent aut dissimilibus gubernantur legibus aut peculiarium condicionum causa proprii reperiuntur alicuius aetatis vel nationis. Exordiando igitur a Vetere Testamento apud scriptores christianos videre licet partitionem, quae illi Iudaeorum vetustae in Legem Prophetas Hagiographa succedit, ac sistit quidem potius in genere librorum, quos in historicos et didacticos seu sapientiales ac propheticos distribuit; quamquam haec divisio non omnibus partibus plana convenit, cum quaedam capita (X—XIX) libri Sapientiae, inter didactica enumerata sunt historica; idem accidit in opere prophetico Baruch, quod ex parte pertinet ad historiam; et commentarium Ionae, quod etiamsi in numero voluminum prophetarum minorum est, nihilo secius narrationem factorum exhibet. At libros relinquimus historicos, simul ac Iobem et Ionam, quia de iis, propter singulares difficultates veritatem attin-

¹ Questioni bibliche, p. 99.

² De generibus loquens ait: „J'admets aussi que le premier est incontestable; et même il ne me semble contesté par aucun exégète sérieux, au moins en théorie.“ Bulletin d'Écriture Sainte. Études. Tom. 102 (1905), I, p. 262. Idem sed uberius dicit in opere L'Église et la critique biblique, p. 49—51.

³ „L'inspiration scripturaire à propos d'un livre récent.“ Bulletin de Littérature Éclesiastique. 1905, p. 52.

⁴ Divinitas Scripturarum, p. 101.

⁵ Propaedeutica biblica, p. 186.

⁶ Haec opinionem esse communem anno 1910 asseruit: „On admet assez couramment que l'inspiration n'exclut aucun genre littéraire.“ „Critique biblique.“ Dict. Apolog. de la Foi cathol. Tom. I. col. 795.

⁷ L'inspiration des Div. Écrit., p. 49, 50.

⁸ In volumine notissimo contritam sententiam breviter ad hunc modum exponit: „En soi l'inspiration et l'infailibilité de l'Écriture sont compatibles avec tous les genres littéraires.“ Manuel biblique. Paris 1913. Tom. III, p. 224, 225; Cf. p. 174.

⁹ Cf. Introd. in s. Vet. Test. libros, p. 112.

gentes, quando de his loquemur, agendum erit; sed hoc loco disserere opus est de didacticis et propheticis. Atque ii, dispare a libris historicis sermone communi confectis, generatim forma poetica exarati sunt; sed haec poesis consuetudinibus populi hebraei et aliorum semitarum non moribus nostris mensurari debet; porro in Oriente illo tempore poetica constabat potissimum ex sententiarum parallelismo; reliquae autem normae versuum hebraeorum in disputatione versantur: aliqui enim volunt pedes numeris sicut in poemate Graecorum et Romanorum metiri; quidam ad modum Syrorum carminum numero syllabarum; alii demum accentibus; similiter de quaestione stropharum adhuc plurimum certatur. Ast omnes concedunt existere in arte poetica hebraeorum acrosticha formata litteris alphabeti, in quo versus quaterni vel bini vel singuli vel media pars eorum ab una ex 22 litteris alphabeti incipiunt¹. Hactenus de forma externa.

Nunc autem agendum est de generibus, quae ex operis argumento pendent et quorum in libris inspiratis reperiuntur lyricum et didacticum ac forte dramaticum etiam in Cantico Canticorum. Ad primum pertinent libri prophetici atque Psalmi magna ex parte; sed inter se remanente genere lyrico differunt specie; sic Lamentationes ad elegiam (Kinot) revocantur: item quaedam Psalmorum inscriptiones, etsi obscure, indicant naturam carminis: שִׁיר, מְזֻמָּר, שִׁיר מִשְׁבִּיל, שִׁיר הַמַּעֲלֹת, שִׁיר יְדִידוֹת, שִׁיר מְזֻמָּה, מְזֻמָּר

שִׁיר מִשְׁבִּיל, שִׁיר הַמַּעֲלֹת, שִׁיר יְדִידוֹת, שִׁיר מְזֻמָּה, מְזֻמָּר; ad formam vero didacticam (maschal) redu-

cuntur libri Proverbiorum, Ecclesiastis, Sapientiae, Ecclesiastici et pauci Psalmi. Hae igitur sunt differentiae poetices hebraicae, quae quidem apertius declararentur, si copiosiora fuissent monumenta Assyriorum et Aegyptiorum; attamen ea, quae nunc habemus cognita, satis ostendunt ex una parte species carminum Iudaeorum apud alios quoque populos Orientis exstitisse, ex altera vero poesim inspiratam longe antecellere doctrina et argumento reliquis poematis profanis. Hoc itaque pacto specimina quaedam formae lyricae suppeditant documenta Assyriae, velut planctum de ruinis Babyloniae,

¹ Acrosticha exstant: Ps. IX una cum X, XXV, XXXIV; XXXVII, CXI, CXII, CXIX, CXLV; Prov. XXXI, 10—31; Eccli. L. 13—30; Lament. I—IV; Nah. I, 2—10.

similem Ieremiae lamentationibus¹. Psalmi autem abundantius collustrantur carminibus assyriis in honorem solis lunae dei temporum compositis², aequae poematis inscriptis numini Ištar, Nergal et alii cuicumque deo³, atque psalmo doloris regis Sammasumukin⁴, et psalmo ad Ištar⁵, supplicationeque deo Gibil⁶. Litterae quoque aegyptiae aliqua offerunt Psalmis non multum dissimilia, sicut poesim Amenophis IV ad solem, quam psalmus CIV redolet⁷. Genus etiam *maschal*, tam varium et usitatum apud Iudaeos, reperitur apud Assyrios, ut suspicari possumus ex paucis proverbiiis cognitis⁸, et apud Aegyptios, sicut proverbialia *Ptah-hotep*, rusticorum scriptorum, Ani⁹; rabbini quoque hanc didacticam rationem excoluerunt, quae nec Graecos fugit, cum Aristoteles de *παραβολή* loquatur, nec Romanos, Cicero enim et Quintilianus de parabola praecepta tradunt.

Insuper tempore quo libri sapientiales confecti sunt, consuetudo florebat apud scriptores pseudonyma usurpandi; ut enim doctrina ornaretur ampliore dignitate, persona praecellens in re tractanda assumebatur, cui tribuebatur sermo. Quare Marcus Tullius Cicero „Genus autem hoc, inquit, sermonum positum in hominum veterum auctoritate et eorum illustrium plus nescio quo pacto videtur habere gravitatis; itaque ipse mea legens sic afficior interdum, ut Catonem non me loqui existimem¹⁰“. Ita dicit in libro „De amicitia“, ubi Laelium inducit disputantem, et nominat suum „de senectute“ scriptum, in quo Catonem Maiorem de hac aetate disputare facit. At orator romanus minime primus hanc instituit viam; ipse alterum philosophum graecum commemorat Aristum Chium, qui Tithonum fabularum ad verba facienda elegit¹¹; similiter notissima sunt

¹ Cf. P. V. Scheil O. P., Rev. Bibl. 1897, p. 28, 29.

² Cf. Dr. Hugo Greßmann, Althistorische Texte und Bilder zum Alten Testamente. Tübingen, 1909. I. Band, p. 80—84.

³ Ibid. p. 85—91.

⁴ Cf. P. Scheil, Rev. Bibl. 1896, p. 75, 76.

⁵ Cf. P. Dhorme O. P., Choix des textes religieux Assyro-Babyloniens. Paris 1907, p. 366, seq.

⁶ Ibid. p. 370, 371.

⁷ Cf. P. Mallon S. J., Égypte. Diction. Apolog. de la Foi cathol. (1910) I, col. 1339, 1340.

⁸ Cf. P. Dhorme loc. com., p. 398, 399.

⁹ Greßmann, loc. com., p. 201—203.

¹⁰ Laelius, De amicitia, I, 4.

¹¹ De senectute, I, 3.

Platonis commentaria, ubi Socrates magister eius loquitur. Litterae vero non canonicae Iudaeorum uberiores in huiusmodi genere cernuntur; ad nostram enim pervenerunt memoriam, quae adscribuntur Henoch, Assumptio Moysis, Apocalypsis Baruch, liber IV Esdrae, Apocalypsis Abrahae, Testamentum duodecim Patriarcharum; alia vero volumina deperdita sunt, velut Oratio Ioseph, liber Edad et Madad. Apocalypsis Eliae et Zophoniae. Ista igitur laudata simulatio non videtur fuisse a Divinis Litteris aliena, atque hodiernis temporibus auctore P. Brucker omnes paene exegetae catholici tenent, in libro Sapientiae hac ratione scriptorem posuisse disputationem in ore sapientissimi regis Salomonis¹; P. Condamin idem contigisse arbitratur in libro Ecclesiastis², cui assentitur etiam P. Brucker³; alii vero ad alia opera hanc normam transferendam censent, ut ad Canticum Canticorum⁴, ad scriptum Danielis⁵ et Ionae⁶, at de his non omnes consentiunt.

Denique praeter genera exposita, quae apud ceteras gentes inveniuntur, unum adhuc restat Iudaeis peculiare, propheticum dico; nam nemini nisi ipsis concessum fuit Prophetarum subsidium, qui divinitus a Deo missi optimos mores et legum obtemperacionem custodiebant in populo electo, eoque pacto adventum parabant Messiae, atque ut melius officio suo fungerentur, res procul distantes praedicebant; in unam igitur prophetarum personam historia iam transacta nationis iudaicae et res gestae praesentes et venturae simul conveniebant⁷; ex quo efficitur illos futuris praeterita praesen-

¹ „Ainsi, quoique l'enseignement du livre de la Sagesse soit mis expressément dans la bouche du roi Salomon, saint Augustin, saint Jérôme et presque tous les exégètes catholiques modernes ne se sont nullement crus obligés de regarder ce livre comme l'œuvre du fils et successeur de David.“ *L'Église et la crit. bibl.*, p. 82.

² *Rev. Bibl.* 1900, p. 39 et seq.

³ *Loc. com.*

⁴ Cf. P. Durand, *Critique Biblique. Diction. Apolog. de la Foi cath.* (1910). Tom. I, col. 793.

⁵ Sic existimat Tournel. Cf. P. Lagrange, *Methode historique*, p. 83.

⁶ Cf. Van Hoonacker. *Les douze petits Prophètes*, p. 313.

⁷ P. Albertus Colunga O. P. copiose hanc quaestionem exponit in „*La ciencia Tomista*“. *Sentidos de las profecías* (1911). Tom. II, p. 368, seq. Tom. III, p. 29, seq. Sic de re, quam quaerimus, dicit: „El Profeta, que comunica con Dios y participa su visión del porvenir, es el mismo que oye y siente lo que en derredor suyo pasa, que vive con sus hermanos y con ellos sufre y se goza con los su-

tiaque admiscuisse, quare facta post longum temporis intervallum eventura tamquam instantia et iam effecta proponunt. Tamen Sayce opinatur *âsûpu* Babyloniae fuisse prophetis Israel similes; P. Condamin autem, sequendo iudicium P. Lagrange, *bârû* censet magis similes verorum prophetarum, quamvis inter utrosque inveniatur maxima differentia; attamen in aliis nationibus aliqua inveniuntur, quae sapiunt virorum inspiratorum vaticinationes; sic P. Scheil putat id accidere in quadam assyrica praesensione¹, Gressmann quoque nonnulla huius generis affert ad aegyptias literas spectantia². Ac de Vetere Testamento satis.

Tripartitum autem est genus librorum Novi Testamenti: historicum scilicet, epistolarum, apocalypticum; quae divisio inspiratione divina consecrata in christianorum litteras confestim irrepsit; unde opera etiam apocrypha Novae Legis ex Evangeliiis Actis Epistolis Apocalypsibus existunt; aequae Patres Apostolici, sicut Clemens Romanus, Ignatius Antiochenus, Polycarpus operam Apostolorum perpetuarunt litteris, quae similitudinem quandam habet operum inspiratorum. Hoc vero loco historiam Novi Testamenti, quemadmodum fecimus respectu Testamenti Veteris, relinquamus, et de genere epistolarum atque de apocalypticis disputabimus. Ac primum de litteris, quae omnibus saeculis in honore fuerunt, neque ullo modo derelictae censendae sunt temporibus pristinis christianismi, ut illae in papyris repertae sat ostendunt. Postquam vero anno 1895 primum papyri editae sunt, „Ägyptische Urkunden aus den königlichen Museen zu Berlin“, epistolae profanae inspiratis illustre attulerunt lumen; ex eis enim intelligimus sanctos viros non solum genus pervagatum sumpsisse, sed etiam in minimis ad communem consuetudinem se accommodasse. Sic verbum inscriptionum *χαίρειν* (Cf. Act. XV, 23; XXIII, 26) adhibet Iacobus (I, 1)³; formula *μνείαν ποιῆσθαι* usurpata a S. Paulo (Rom. I, 9; Ephes. I, 16; I Thes. I, 2; Philem.

cesos adversos ó prósperos; y estas impresiones celestiales y terrenas, que se agitan en el ánimo del profeta, se ligan estrechamente hasta venir á formar un solo ser, como una es la conciencia y la vida y el divino ideal del profeta.“ Tom. II, p. 376.

¹ Rev. Bibl. 1897, p. 29, 30.

² Loc. com., p. 204—209.

³ Exempla hic allata studiose collecta sunt in opere St. Pauls Epistle to the Ephesians by I. Armitage Robinson D. D., Second edition. London, 1914. On some current epistolary phrases, p. 275—284.

v. 4) etiam in epistolis papyrorum invenitur. Salutationes quoque in extremis litteris positae sunt pares in scriptis inspiratis et ceteris, sicut et voces ἀσπάζομαι (Rom. XVI, 21) et ἀσπάζεται (Col. IV, 10, seq.); similiter usus papyrorum salutandi unum virum simul cum sua familia non est alienus a Paulo (II Tim. IV, 19), neque salutationes amicorum ἀσπασαι τοὺς φιλοῦντας ἡμᾶς (Tit. III, 15); item illud κατ' ὄνομα (III Ioan. v. 15) non abest a papyris. Alia insuper dicta illarum litterarum communia inspiratis quoque sunt huius modi: in petitionibus directis verbum παρακαλῶ (II Cor. II, 8; Philip. IV, 2); in non directis, καλῶς ποιήσεις (Phil. IV, 14; III Ioan. v. 6); ad aliquid inducendum novi, γινώσκειν δε θέλω (Philip. I, 12. Cf. Rom. I, 3; I Cor. XI, 3; II Cor. I, 8; Col. II, 1; Hebr. XIII, 23); ad gaudium significandum, ἐχάρην, ἐχάρην λίαν (Philip. IV, 10; II Ioan. v. 4; III Ioan. v. 3). At nonnunquam vita christiana aliquantum mutavit usum vulgarem; hoc pacto desiderium illud in papyris consignatum: πρὸ μὲν πάντων εὐχόμεαι σε ὑγιαίνειν, Ioannes aliquantum variat, loco πρὸ πάντων inserens περὶ πάντων (III Ioan. v. 2), atque comparisonem inter animam et corpus instituens; item epistolae papyrorum formulis absolvuntur ἔρρωσο (ἔρρωσθε) vel. ἐρρωσθαί σε (ὁμᾶς) εὐχόμεαι (Cf. Act. XV, 29; XXIII, 30), Paulus autem finem literarum facit implorans gratiam christianis, Iudas doxologiam adiungit, Petrus in I epistola omen pacis, in II vero doxologiam, admonitiones Iacobus et Ioannes in primis codicillis. Ac locum gratiarum actionis papyrorum propriae χάρις τοῖς θεοῖς occupavit in libris inspiratis haec; χάρις τῷ θεῷ (Cf. Rom. VI, 17; I Cor. XV, 57; II Cor. II, 14; VIII, 16; IX, 15 etc.); simili ratione dictio christiana χάριν ἔχω τῷ θεῷ (II Tim. I, 3; Cf. I Tim. I, 12) successit paganae χάριν ἔχω θεοῖς πᾶσιν.

Sed ad genus apocalypticum veniamus, quod iam in quibusdam prophetis Veteris Testamenti dedit suae praesentiae signa, utpote in Isaia Ezechiele Ioele Zacharia praecipue in Daniele; extinctis vero paucis prophetis, qui post exilium vocem pro populo miserunt, eademque causa litteris propheticis conclusis, apocalypses celeriter sunt pervulgatae atque absentiam operum a prophetis scriptorum quodam modo compensarunt¹. In hac igitur forma degene-

¹ Batiffol vim apocalypticorum operum ostendit: „elles comblent la lacune littéraire qui s'étend entre l'Ancien et le Nouveau

rata sine dubio a prophetica ratione pius scriptor inducit pseudonymorum ope praeclarum quemdam virum narrantem altissimas revelationes exaggeratis similitudinibus ac figuris ornatas; sed animus apocalyptici scriptoris quasi divina informatus aeternitate versatur in futuris eventibus¹ tamquam in praeteritis vel praesentibus, ita ut difficillimum sit huiusmodi tempora discernere. Complura vero scripta tali genere sunt confecta praesertim tempore interiecto inter medium secundum saeculum ante et post Christum; ea, quae orta sunt apud Iudaeos paullo ante enumeravimus, ubi sermo erat de pseudoepigraphis; christianis autem scriptoribus tribuenda sunt Apocalypses Moysis Esdrae 2 Petri 2 Pauli Thomae Stephani Ioannis apocryphi Bartholomaei et Mariae. Istud autem genus non solum in libris prophetis Veteris Testamenti et in operibus non canonicis locum obtinuit, verum in Evangelio etiam apparet a Iesu Christo adhibitum, cum ad discipulos orationem habuit eschatologicam (Mat. XXIV, XXV et loc. parall.); at in Apocalypsi Ioannis divina inspiratione sancte fuit dedicatum sublevatum spoliatum foeditatibus: primum enim ab apocryphis propterea differt, quod ista volumina pseudonyma sunt, e contra scriptum Ioannis authenticum habetur; deinde ipso argumento et fine longe reliqua, ut animadvertit P. Lagrange, superat².

113. De necessariis dispositionibus. — Iam ad istas redire debemus, ut quaestio de instrumenti dispositione absolvatur. Eae autem iudicandae sunt necessariae, quae agens instrumentale scriptio conformant ad causam principem Deum, quaeque ad finem consequendum accommodant scriptorem³. Age, scopus ultimus inspirationis est liber divinus; ergo iis omnibus homo necessario instrui

Testament; et par les espérances si hautement messianiques qui sont leur caractéristique commune, elles sont comme une sorte de prolongement et d'épilogue des prophètes canoniques, en même temps que le prologue de l'Évangile." Dictionnaire de la Bible (Vigouroux). Apocalypses Apocryphes. Tom. I, col. 757.

¹ Sic P. Lagrange ait: „Avant tout l'apocalypse regarde l'avenir, et surtout l'avenir des derniers jours." Le Messianisme chez les Juifs, p. 39.

² „L'inspiration divine et leur génie ont bien servi Daniel et saint Jean. Le caractère pratique et le but religieux immédiat de ces admirables apocalypses éclatent en dépit du genre et leur donnent une valeur de vie." Ibid. p. 45.

³ Cf. nr. 53.

debet, quae ad hunc propositum conveniunt; horum autem praecipua est scientia et cognitio rerum scriptis consignandarum, quae notitia divinitus potest simul cum inspiratione suppeditari, quemadmodum factum est, cum Deus repente sibi Balaam et Caipham prophetas adsciscere voluit; attamen id in scriptoribus inspiratis generatim non evenit, sed hi e contrario aut cursu naturali aut revelatione per longius tempus magna ex parte fuerunt eruditi in iis, quae postea afflatu caelesti scriptis mandarunt. Ac revera in Vetere Testamento videmus scriptores librorum historicorum cognitis fontibus usos fuisse ad res gestas narrandas; sapientes etiam antequam opera didactica scripserant, magno studio ad sapientiae acquisitionem se contulerant, ut Iesus filius Sirach Ecclesiasticum composuit, testimonio prologi huius libri, postquam penitus se dederat ad Sacras Litteras evolvendas, atque ipse ille Iesus confitetur in hoc labore a prima aetate desudasse. „Cum adhuc iunior essem, priusquam aberrarem, quaesivi sapientiam palam in oratione mea“ (LI, 18); item prophetae breviter litteris complexerunt, quae vel divino lumine vel humana experientia decursu totius vitae perceperunt; similiter Apostoli diuturna Iesu disciplina atque Spiritus Sancti institutione parati sunt, Paulus divina revelatione, Marcus et Lucas etiam Apostolorum familiaritate¹. Ita scriptores instrumenta idonea efficiuntur ad finem propositum; congruunt autem agenti principali, cum eorum voluntates ad nutum divinum convertantur; id vero sine ulla vi obtinetur, propterea quod providentia Dei scriptores suaviter incitat et movet ad scribendum communibus, in quibus versantur, condicionibus; exemplum sit scriptor secundi libri Machabaeorum, quem multitudo librorum et difficultas aggrediendi narrationes historiarum ad hoc opus conficiendum allegerunt²; pariter labores ceterorum hominum, qui facta evangelica scrip-

¹ Quam ob rem P. Lagrange inquit: „Mais si l'inspiration, en elle même, ne fournit peut-être pas une idée nouvelle, il faudra que l'enseignement divin soit déposé d'abord dans l'esprit de l'écrivain inspiré soit par des révélations antécédents personnelles, soit par l'éducation dans un milieu où la révélation est devenue le patrimoine commun des esprits.“ Postea prosequitur: „Dans ces conditions, ce que l'écrivain sacré nous transmet, c'est bien sa chair et son sang, le produit de ses réflexions et de ses veilles, de ses informations et de ses labeurs, c'est l'éclosion de son esprit et de son cœur“ etc. Rev. Bibl. 1896, p. 218.

² Cf. nr. 28.

tis mandarunt, in mentem Lucae iniecerunt desiderium Evangelium componendi¹. Interdum autem praeceptum quoque interpositum est, sicut aliquas Pentateuchi partes videmus Dei iussu scriptas (Ex. XVII, 14; XXXIV, 27; Deut. XXXI, 19); tale mandatum prophetis iniunctum crebro reperitur, ut in Isaia (VIII, 1; XXX, 8), Ieremia (XXX, 2; XXXVI, 2, 28), Ezechiele (XXIV, 2), Daniele (VIII, 26; XII, 4), Habacuc (II, 2); Apocalypsi (I, 11; XIX, 9)². Haec igitur generaliter dicta sunt; quas vero vias, quos modos Deus in praeparatione tam diversorum hominum adhibuerit, in singulis casibus, res valde est abdita aciemque humanae mentis fugit. Scriptores demum apparatu omnium necessariorum dispositionum cumulati recipiunt inspirationem, quae est ultima atque perfectissima dispositio, quandoquidem forma ipsa extremam largitur dispositionem.

¹ Cf. nr. 27.

² In volumine graeco libri Tobiae simile monitum exstat: *γράψατε πάντα τὰ συντελεσθέντα εἰς βιβλίον.*